

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLIS

BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0527

Sabato 29.08.2009

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DEL XII CENTENARIO DELLA MORTE DI SAN LUDGERUS, PRIMO VESCOVO DI MÜNSTER E "APOSTOLO DEI SASSONI E DEI FRISONI" (WERDEN AN DER RUHR -DIOCESI DI ESSEN-GERMANIA, 6 SETTEMBRE 2009)

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DEL XII CENTENARIO DELLA MORTE DI SAN LUDGERUS, PRIMO VESCOVO DI MÜNSTER E "APOSTOLO DEI SASSONI E DEI FRISONI" (WERDEN AN DER RUHR -DIOCESI DI ESSEN- GERMANIA, 6 SETTEMBRE 2009)

In data 4 luglio il Santo Padre ha nominato l'Em.mo Cardinale Joachim Meisner, Arcivescovo di Köln, Suo Inviato Speciale del Santo Padre alle celebrazioni del XII centenario della morte di San Ludgerus, primo Vescovo di Münster e "Apostolo dei Sassoni e dei Frisoni", che avranno luogo a Werden an der Ruhr (Diocesi di Essen, Germania) il 6 settembre 2009.

La Missione che accompagnerà l'Em.mo Card. Joachim Meisner è composta dai seguenti ecclesiastici della Diocesi di Essen:

1. Rev.do Mons. Manfred Paas, Prevosto di Gelsenkirchen;
2. Rev.do Don Hans-Bernd Serries, Prevosto di San Giovanni e San Ludgerus a Billerbeek (dove morì S. Ludgerus).

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre al Suo Inviato Speciale:

• **LETTERA DEL SANTO PADRE** *Venerabili Fratri Nostro IOACHIMO S.R.E. Cardinali MEISNER Archiepiscopo Metropolitae Coloniensi*

Ille qui primus exstitit Episcopus Monasteriensis, sanctus videlicet Liudgerus, per diligentem suam pastoralementem operam evangelizationis apud Saxones et Frisones exercuit. Studiose territorium dioecesis suae peregrinabatur ut vi praedicationis atque vitae suae exemplo populos usibus usque paganis obnoxios ad fidem christianam vocaret. Praeter aedificationem *Monasterii* et templi cathedralis, multas condidit paroecias quae studiosis concredidit pastoribus. Rege et quibusdam nobilibus iuvantibus, alia etiam aedificavit sacras aedes et monasteria, veluti cardines fidei propagandae. Anno DCCC coenobium condidit Werthinense in Saxonia ubi,

pium post obitum die XXVI mensis Martii anno DCCCIX in loco vulgo Billerbeck, eius exuviae requiescunt.

Quandoquidem millesimus et ducentessimus praeterit anniversarius dies a morte huius assidui praeclari Pastoris et salutiferae veritatis praedicatoris, merito multa suscipiuntur incepta ut eius virtutes et vitae ratio, quae etiam fidelibus aetatis nostrae prodesse possint, magis comprehendantur et divulgentur.

Hac oblata occasione Venerabilis Frater Felix Genn, Episcopus olim dioecesis Essendiensis et nunc sacrorum Antistes Monasteriensis, humanissime rogavit ut Nos quendam insignem Purpuratum designaremus qui praecipuis celebrationibus in honorem sancti Liudgeri Nostro nomine praeesset atque verba spiritualis cohortationis pronuntiaret. Piae huic postulationi Nos adnuere volentes, ad Te, Venerabilis Frater Noster, decurrimus qui, praestantissimus Germaniae filius, munus Archiepiscopi Metropolitanae Ecclesiae Coloniensis studiose exerces, cui communitates Essendiensis et Monasteriensis sunt dioeceses suffraganae. Te igitur hisce Litteris Missum Extraordinarium Nostrum nominamus ad celebrationes millesimi et ducentissimi anniversarii obitus sancti Liudgeri, quae die VI proximi mensis Septembris in loco vulgo "Werden an der Ruhr" sollemni ritu agentur. De eminenti hoc Ecclesiae viro loquens eiusque assidua operositate, omnes celebrationum participes adhortaberis ut precibus et vitae cotidianae exemplo novoque studio peculiarem dilectionem in Christum et Evangelium demonstrent. Testimonium enim fidei sancti Liudgeri ad hoc usque tempus magno excellit pondere atque omnes credentes impellit quo melius Christum cognoscere et amare studeant.

Cunctos ibi congregatos sacros Praesules, publicas auctoritates, sacerdotes, religiosos viros mulieresque et christifideles laicos Nostro salutabis nomine Nostramque iis ostendes benevolentiam.

Nosmet Ipsi Te, Venerabilis Frater Noster, in tua missione implenda precibus comitabimur Tibique, sancto Liudgero intercedente, Benedictionem Apostolicam libentes impertimur, signum Nostrae erga Te amabilitatis et caelestium donorum pignus, quam omnibus celebrationum participibus rite transmittas volumus.

Ex Aedibus Vaticanis, die XX mensis Augusti, anno MMIX, Pontificatus Nostri quinto.

BENEDICTUS PP. XVI

[01228-07.01] [Testo originale: Latino]

[B0527-XX.01]
